

Lubecam Philadelphicam, seu Imaginem Angeli Philadelphiensis Apocal. III. v. 7. usque ad 11. In Viro De Ecclesia Christi ... præclarissimè merito Domino, Dn. Georgio Henr. Goetzio ... Dissertatione Epistolica strenæ locô, eâ, qvâ fas est, observantiâ sub auspiciis Novi Anni sistit Joh. Christoph. Ploetzius, Güstrov. Megapol.

Rostochii & Lipsiae: Apud Joh. Henricum Ruswormium, MDCCXV.

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853913723>

Druck Freier  Zugang



Blank paper label on the spine of the book.

4487.

Fc - 4487.

17
Bibl. Bibliothek
Academica
Rostochiensis



LUBECAM PHILADEL-
PHICAM,

feu

IMAGINEM ANGELI PHILADELPHIENSIS

Apocal. III. v. 7. usque ad 11.

In VIRO

De Ecclesia Christi & Republica Literaria
præclarissimè merito

D O M I N O,

DN. GEORGIO
HENR. GOETZIO,

S.S. Theol. Doctore longè Celeberrimo, &
Ecclesiarum Lubecensium Superintendente Vigilanti-
tissimo, pariter ac Gravissimo,

Domino, Patrono atque Fautore ad cineres
usque sanctè prosequendo,
exactissimè expressam,

DISSERTATIONE

EPISTOLICA

strenuè locò,

eâ, quâ fas est, observantiâ
sub auspiciis Novi Anni

scribit

Joh. Christoph. Ploetzius,

Güstrov. Megapcl.


ROSTOCHII & LIPSIAE,

Apud JOH. HENRICUM RUSWORMIUM,

Anno MDCCXV.

Cum
Censura & Approbatione
REVERENDISSIMÆ
FACULTATIS
THEOLOGICÆ
In
Academia Rostochiensi.

Ex
Bibliotheca
Academice
Rostochiensis



Singulare prorsus, summum atque admirabile encomium est, quo purissimus veritatis cœlestis fons, Christus, quo nemo certiora, nemo diviniora unquam locutus est, cui absentia nota sunt, quam præsentia, qui omnia videt, & occulta quoque cordium perscrutatur, *Nathanaelem ornat, Job. 1. 48. Ecce vere Israelita, in quo non est dolus.* Non fuit dulcissimo Salvatore nostro mens, scopus, atque animus, Nathanaelem communi mortalium post lapsum Adami conditioni eximere, vel immunem à labe peccati originalis, in quo concepti sumus, & nati, declarare, omnes enim peccaverunt, & destituuntur gloria Dei *Rom. III. 23.* sed tantum à dolo liberare pharisæico. Pharisei enim, præcipui gentis Judaicæ doctores, legisque divinæ interpretes, tum temporis affectata singulari tum eruditionis, tum sanctimoniam ostentatione apud populum Dei sese venditabant, falsæque doctrinæ suæ autoritatem, & fidem conciliare nitentur; singulari item vestitu, peculiaribus gestibus, verbis ad ostentationem comparatis, humili incessu, fictis lacrymis, altis suspiriis, & similibus nugis, quæ in oculos simpliciorum incidunt, sese omnibus commendabiles reddere satagebant, de salute per Christum, verum Messiam, unice consequenda parum solliciti.

Ex horum numero, qui Israelitarum nomine se iactabant, & externam pietatis speciem præ se ferebant, revera autem in omni & scelerum, & flagitiorum cœno volutabantur, non esse Nathanaelem, summa cum laude proficitur, sed eum, qui summa animi anxietate Messiam investiget, Patribus V. T. promissum, non dolo Pharisæico, qui accepta quasi candela candelabrum quærebant, sed ardentissimo veritatis studio, ut remissionem peccatorum, & salutem in Christo inveniret, quam sine dubio etiam consecutus est, posteaquam cognovit, & credit, Christum esse filium Dei, Regemque Israelis v. 50. seu eum, quem Moses, & Prophetæ prædixerant, in qua cognitione vitam æternam consistere ipse Christus testatur *Job. XVII. 3.* Non absimilem Nathanaeli fuisse *Episcopum Ecclesiæ Philadelphienfis* plium, & sincerum, ex magnifica laude, quam Christus eidem *Apoc. III. v. 7-11.* attribuit, luce meridiana clarius effulget, quæ verba cum ex ore, & mente sanctissimi, & veracissimi nostri Salvatoris sint profecta, egregiumque simul virtutum amplissimarum comprehendant cumulum, non tantum ab unoquoque pio Theologo maximi semper sunt facienda, sed etiam accuratiori digna scrutinio. Ita vero juxta Versionem *B. DN. D. SEBAST. SCHMIDTII* sonant: *Angelo itidem ejus, quæ in Philadelphia est, Ecclesiæ, scribe. Hæc dicit Sanctus, Verus, qui habet clavem Davidis, qui aperit, ut nemo claudat, & claudit, ut nemo aperiat. Novi opera tua. Ecce, dedi coram te januam apertam, quam nemo potest claudere, quia exiguam habes virtutem, & servasti verbum meum, nec abnegasti nomen meum. Ecce, dedi è Synagoga Satanae,*
qui

qui dicunt, seipſos Judeos eſſe, cum non ſint, ſed mentiantur : ecce, faciam, ut iſti veniant, & incurvent ſe coram pedibus tuis, cognoscantque, quod ego dilexerim te. Quia ſervaviſti verbum patientie meae, ideo ego ſervabo te ex hora tentationis venturae ſuper orbem terrarum totum, ad tentandum habitantes ſuper terram. Ecce, venio cito : tene, quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. B. LUTHERUS : Und dem Engel der Gemeine zu Philadelphia ſchreibe : Das ſaget der Heilige / der Warhaftige / der da hat den Schluſſel David / der auffthut / und niemand zuſchleuſſet / der zuſchleuſſet / und niemand auffthut. Ich weiß deine Werke. Siehe / ich habe für dir gegeben eine offene Thür / und niemand kan ſie zuſchließen / denn du haſt eine kleine Krafft / und haſt meine Worte behalten / und haſt meinen Namen nicht verläugnet. Siehe / ich werde geben aus Satanas Schule / die da ſagen / ſie ſind Jüden / und ſinds nicht / ſondern lügen. Siehe / ich will ſie machen / daß ſie kommen ſollen / und anbeten zu deinen Füßen / und erkennen / daß ich dich geliebet habe. Dieweil du haſt behalten das Wort meiner Gedult / will ich auch dich behalten für der Stunde der Verſuchung / die kommen wird über der ganzen Welt : Reiß / zu verſuchen / die da wohnen auff Erden. Siehe / ich komme bald / halt / was du haſt / daß niemand deine Krone nehme.

Initio probe notandum eſt, Angelum illum increatum, Jeſum Chriſtum, Episcopos Eccleſiae ſuae appellare Angelos, non ſine graviffima cauſa. Quemadmodum enim bonorum Angelorum officium præci-

puum est, inservire Deo, & hominibus; Deo quidem, tum *ψαλμωδιᾶ*, hymno, ac laudibus eum celebrando *Jes. 6. 3. Psal. 104. 42.* tum *leitourgia*, ministerio, mandata ejus exequendo, & voluntatem ipsius annunciansando *Psal. 103. 20.* Hominibus vero varie, ipsis ad salutem ministrando *Hebr. I. 14.* ipsos custodiendo, animasque ipsorum in sinum Abrahamæ deferendo *Luc. 16. 22.* Ita quoque piorum, & fidelissimorum verbi divini Praeconum, quorum ministerio, & opera Deus in domo sua loco candelabri utitur, unicum fere, & praecipuum munus est, vestigiis bonorum angelorum insistere, tam nomen Dei, quam in nomine Dei praedicare, & pro grege sibi commisso summa cura vigilare, quia Angeli sunt Domini exercituum, *Mal. 2. 1.* & inde ceu Angeli recipi merentur *Gal. 4. 14.* Quemadmodum etiam Angeli poenitentia peccatorum impense delectantur *Luc. 15. 10.* ita & verbi divini ministris nihil gratius accidere potest, quam si auditores suos praelucante lucerna divinae gratiae è tenebris ad lucem, è morte ad vitam per veram poenitentiam emergere percipiunt. Talis fuit Angelus Episcopus Ecclesiae *Philadelphiensis*, qui Philadaephiae, quae fuit civitas in minori Asia quondam amplissima, ab amore fratrum intentissimo sic dicta, officio suo summa cum laude, eaque, qua par est, fidelitate functus est, atque in omnibus seipsum exemplar bonorum operum in doctrina, & morum gravitate praebuit *Tit. 2. 7.* Quale ipsi fuerit nomen, num QVADRATUS, ceu *Lyræ* putat, seu aliter fuerit cognominatus, neque ex *Scriptura sacra*, neque ex *Historia Ecclesiastica* satis certo constat, nec quicquam interest, curiosius illud indagare.

Imo

Imo nec quicquam decedit honori hujus præstantissimi Christi confessoris & discipuli, nomen ipsius in terris æterna veluti oblivione esse sepultum; sufficit enim, illius nomen in coelis esse scriptum *Luc. 10. 20.* quin potius ista nominis dissimulatione Spiritum Sanctum docere voluisse existimo, non licere piis Ecclesiæ Christi Doctoribus, ut magnam affectent sui nominis gloriam, aut in eo sollicitè laborent, ut nomina ipsorum passim in orbe volitent per ora hominum, aut in omnibus tabernis librariis appensa à prætereuntibus legantur. Vanæ etenim jactantiæ ea sunt signa. Interim nullum est dubium, Episcopum hunc cum Nathanaele modo laudato sine dolo, Christoque ἀρχιπρωοιμένε nostrarum animarum fuisse dilectissimum, cujus amoris, & gratiæ indubitatum pignus, & certissimum quasi chirographum ipsi in afflictionibus suis quoque imperterritus, quando per Johannem, Virum apertis oculis, audientem sermones Dei fortis, & visiones Omnipotentis videntem, Virum resectum oculis *Num. 24. 4.* per Johannem, inquam, speciali Dei mandato excitatum, hanc solatiffuam, & maxime honorificam ipsi scribendam curavit epistolam. Impudentiam itaque Pontificiorum satis mirari non possum, præfracte negantium, Apostolos in N. T. ex speciali Dei mandato verbum Dei literis consignasse, vel, ut clarius dicam, Apostolos jussos esse, verbum divinum scriptis tradere. Quid vero illud aliud est, quam ipsi Soli tenebras offundere velle? Annon hinc expressis verbis Johanni imponitur necessitas à Christo, & munus scribendi? Annon Apostoli *Matth. 28. 19.* generatim omnes gentes tam viva voce, quam scriptis suis docere

jubentur, & scribendo etiam testari, Jesum esse Christum, ut credentes habeant vitam æternam *Job. 21. 24?* O amentes, & tardos corde ad credendum omnibus Pontificios, quæ locuti sunt prophetæ *Luc. 24. 25!* Sane certus hic est sermo, καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιός, non ex libitu hominum allatam esse ullam prophetiam, sed actos a Spiritu Sancto locutos esse sanctos Dei homines *2. Petr. 1. 21.* Nam quæcunqve ab illis scripta sunt, ad nostram doctrinam sunt literis mandata, ut per tolerantiam, & consolationem scripturarum spem habeamus *Rom. 15. 4.* Quidnam vero Apostolus scriptis tradere jubetur? Num fabulas speciosas, atqve arte compositas *2. Pet. 1. 16.* num somnia insana rationis, aut deliramenta traditionum Pontificiarum, quas verbo divino non tantum Papa Romanus æquiparat, sed etiam præfert in eo, dum sæpenumero tanquam alter Antiochus sacra biblia igne concremavit? Minimè, sed vocem ipsius Dei, plenam & perfectissimam, continentem illa, quæ ad fidem, & vitam æternam consequendam, & mores recte informandos sunt necessaria. Apage igitur cum impiis Pontificis Romani nugis, siquidem habemus firmissimum illum sermonem propheticum, ad quem perpetuo attendere fas est, sicut ad lucernam splendentem in obscuro loco, usq; dum dies illuxerit, & lucifer exoriatur in cordibus nostris *2. Petr. 1. 19.* Unde vel hospiti in sacris literis εὐφραλμοφανερός patet, duo esse hujus epistolæ membra, quorum alterum elegantissimam Authoris descriptionem, alterum vero valde honorificam Episcopi Philadelphiensis commendationem, & exhortationem ad constantiam, dulcissimis rinctam promissionibus

bus complectatur. Primum igitur, quod spectat, nempe *Authorem* hujus *epistolæ*, non alium eum esse agnoscimus ex contextu verborum, quam *Filium Dei, Jesum Christum, Θεῶν Υἱόν*, ecclesiæ suæ caput, ac Præsidem unicum, ambulanti in medio candelabrorum, qui ad dextram Patris cœlestis sedens, ecclesiæ suæ militanti nunquam non præsens, eam defendit, ac regit, eamque ineffabili prorsus, atque ardentissimo amore, sicut sponsus sponsam suam hodierno quoque tempore complectitur, quemadmodum ipse testatur *Hos. 2. 19.* Desponsabo te mihi in seculum, desponsabo te mihi in iustitia, iudicioque & benignitate, ac misericordia: & desponsabo te mihi fide, ut agnoscas Jehovam. Quod aliàs *Rabbini* de scriptura *V. T.* canonica pie prædicare consueverunt, *nullum esse in ea apicem, quin de eo vastissimi montes doctrinarum dependeant*, idem revera hîc locum obtinet, siquidem in hoc dicto nullus apex, nulla litera invenitur, quin de eo amplissimi doctrinarum montes de persona, officio, & beneficiis Christi dependeant, scrutantemque diligentius sua majestate fere obruant. Depingit enim *Johannes* totius *scripturæ sacræ* genuinum finem atque scopum, Dominum nostrum *Jesum Christum*, (1) *ut sanctissimum: Hæc dicit Sanctus.* Merito *Christus* vocatur *sanctus κατ' ἐξοχήν* i. e. sanctissimus secundum utramque naturam. Secundum naturam divinam sanctissimus ille est, quem universus sanctorum Angelorum chorus pronus adorat, & dulcissimo, atque interminabili suo trifagio celebrat: Sanctus. Sanctus, Sanctus est *Jehovah* exercituum, *Jes. VI. 3.* Juxta humanam naturam itidem sanctissimus est, utpote

Spiritus sancti, & virtute Altissimi obumbratione conceptus, *Luc. 1. 35.* adeo, ut peccatum non norit, quod ipse fecit, *2. Cor. 5. 21.* nec dolus in ore ejus sit inventus *1. Pet. 2. 22.* Talis enim nos decebat Pontifex, sanctus, ab omni malo alienus, sine labe, segregatus à peccatoribus, & sublimior coelis factus *Heb. 7. 26.* Ridicula prorsus est *Pontificis Romani* sanctitatis affectatio, quia se non solum sanctissimum appellari permittit, sed & sanctitatis nomen & tesseram se imperitare posse contendit. O frontem hominis impii plane perfrectam, Diabolicam, atque erubescere nesciam! Annon merito verba ea, quibus justissimus scelerum Vindex, Deus, effrenatam quondam populi Israelitici impudentiam castigavit, in eum possunt detorqueri: Frons mulieris scortantis tibi fuit, renuisti pudore suffundi, *Jer. 2. 40.* Equidem & ecclesia Dei dicitur sancta *Eph. 5. 26.* à causa nimirum efficiente, quia Christus eam sanguine suo sanctificavit, & mons, in quo Christus transfiguratus est, *2. Petr. 1. 18.* dicitur sanctus, non quasi major huic monti præ cæteris inesset sanctitas, sed quia sacro-sancta Trinitas in eo apparuit, Sanctus item Sanctorum ibi à patre æterno gloriam æcelestem accepit, sanctique denique Prophetæ, & Apostoli in hoc monte sunt collocuti, quid vero hæc ad Papam, omnium flagitiorum sentinam, atque voraginem? quid hæc ad ecclesiam Romanam longe impurissimam, teterrimamque Monachorum pestem, de qua jamdudum *Innocentius* verissimum hoc tulit judicium: *Monachi foris nitent sanctitate, intus scætant iniquitate, corpus in choro, animus in thoro, Venerem noctu amplexantur, mane Virginem veherantur.*

rantur.

rantur. En egregiam, si Diis placet, sanctitatem! Et quid de *Phariseis Hallensibus*, præ aliis exteriori vitæ sanctimonia turgentibus, inque ea veritatem ecclesiæ internam ponentibus, *Pietistis*, inquam, aliàs famosissimis dicam? annon & illi sunt stolidi, & ridiculi? Imo vero! Nam doctrina vera omnis sanctitatis fons est, & fundamentum, sine qua vel exquisitissima sanctitatis opera meræ sunt nugæ, & superstitio in oculis divinis. Omnis enim planta, quam non plantavit Pater cœlestis, eradicabitur *Matth. 15. 13.* Quemadmodum igitur Christus solus est sanctissimus, ita porro a Johanne describitur (2) *ut veracissimus: Hæc dicit Sanctus, Verus.* Hoc est singulare, divinum, atque augustissimum nomen Christi, quo ceu lumine infinito omnem hujus mundi Monarcharum, & Principum gloriam extingvit. Omnis enim homo, in quocunque vitæ genere, & conditione consideratus, mendax est, seu per originalem corruptionem præclivis ad mentiendum *Psal. 116. 11.* Solus autem Filius Dei, & verax, & veritas ipsa est Dei essentialis *Joh. 14. 6.* Verax ille est in promissionibus suis, quotquot enim sunt promissiones Dei, in ipso sunt etiam, & in ipso sunt Amen, ad Dei gloriam *2. Cor. 1. 20.* Veracissimus item in comminationibus suis, de quibus ne minimus quidem apex in terram unquam cecidit, seu sicut irritus non impletus est. Deum enim, credamus, facilius destructionem hujus universi admissurum, quam passurum, ut minimum jod, vel apex verborum suorum intercidat. Deus sane fortis non est homo, qui mentiatur, aut filius hominis, quem poeniteat: an ipse dixerit, & non faciet? an locutus fuerit, & non præstabit

stabit illud? *Num. 23. 23.* O tutissimam, & firmissimam ancoram animarum nostrarum, cui cum plenissima cordis fiducia in omnibus calamitatum fluctibus nos committere possumus, ut validam habeamus consolationem. Fieri enim non potest, ut Deus seipsum mentiatur *Hebr. VI. 19.* Facessant igitur, atque in malam rem abeant *Pontificii* sceleratissimi, Papam Romanum nec mentiri, nec in rebus fidei errare posse, audacter asserentes! Vah impudentiam, stygiis flammis, & suppliciis, nî respiscant, certissime luendam! Facessant etiam *Reformati*, omnia mysteria divina ad rationis suæ trutinam examinantes, inque articulo de Sacra Cœna cum Capernaitis satis crasse quærentes: Quomodo hic potest nobis carnem suam dare, quam edamus? *Joh. VI. 52.* Etenim cum Christus, sicut paulo ante percepimus, ipsa sit veritas, quidni credamus, nos in Sacra Cœna vesci ipso Christi corpore, & bibere ipsum substantialem sanguinem ipsius, *Matth. 26. 26.* quidni credamus, poculum benedictionis, cui benedicimus, esse communionem sanguinis Christi, & panem, quem frangimus, communionem corporis Christi *1. Cor. X. 16.* præsertim, cum id affirmet & sanctissimus, & veracissimus, & (3) *omnipotens Deus.* Ita enim Johannes Christum porro describit: *Hæc dicit Sanctus, Verus, qui habet clavem Davidis, qui aperit, ut nemo claudat, & claudit, ut nemo aperiat.* Notissimum aliàs est, nonnullas claves Deo in sacris attribui literis, ut clavem cœli *1. Reg. 8. 35.* clavem uteri *1. Sam. 1. 5.* clavem sepulcræ & inferni *Apoc. 1. 19.* clavem etiam scripturæ sacræ, qua solus aperit Doctoribus ecclesiæ suæ piis & fidelibus *σύνεσις ἐν πάντι*
2. Tim.

2. *Tim. 2. 7.* quaque veram & salutarem in animis eorum accendit cognitionem sui, spirituque heroico donat, ut ex promptuario scripturarum & πανοπλιὰ τῆς θεῆς *Eph. VI. 13.* ad tollendum falsæ doctrinæ lolium instrumenta adhibeant, sicut in *Beato* factum est *Luthero*, qui prælucente face verbi divini augiæ stabulum Romanum purgare aggressus, felici quoque successu ecclesiam Dei infinitis erroribus contaminatam, discussis impii Papatus tenebris pristino, & avito flori restituit. Hanc clavem *Pontificis Romani* Christo manifesta, atque sacrilega improbitate eripere conantur, quando se summos, atque unicos controversiarum iudices in terris constituunt, & singulari astu, fraude, & versutia sub titulo clavium *Matth. 16. 17.* Petro concreditarum omnia, & cœlestia, & terrestria, spiritualia, & temporalia sibi vindicant, re ipsa vero ostendunt, se clavam potius, quam clavem Petri usurpare. Hanc quoque clavem Christo eripiunt moderni *Fanatici*, libertatem sibi sumentes, oracula divina pro lubitu suo aperiendi, atque interpretandi, qui tamen non sine pudore confiteri coguntur, se sacram scripturam vix primoribus degustasse labiis. Proh quanta inde oriuntur scandala, quanta in ecclesiam Christi redundant damna! Quem fugit, paucis abhinc mensibus, & quod excurrit, *Mathematicum* quendam, *Mathematicum* verius dixissem, *Leonbardum Christophorum Sturmium*, infelicem edidisse ingenli partum, eoque *fundamenta Sacrae Cœnæ*, adversus quæ ne portæ quidem inferorum hæcenus prævalere, destruere voluisse. Quamquam vero à multis cordatis, piis, & eruditis *Theologis*, quorum memoria sit in

perpe-

perpetua benedictione , tam *Rostochiensibus* , quam *Hamburgensibus* , & *Lubecensibus* , quos plures , sicut audio , sequentur , & se huic contumelioso scripto opponent , quorum labores Deus T. O. M. pro ecclesie salute susceptos ad nominis sui gloriam , & piorum ædificationem dirigere velit , ejusdem somnia ita plane , & perspicue sunt discussa , ut vel infantuli trimestres veritatem rei animo comprehendere possint , non tamen ille desit , in eosdem , exigua modestiæ habita ratione , debacchari tenebrasque suas splendori verbi divini anteferre. Fama fert , *Thaletem* Astronomum quendam , cum noctu aliquando intentiori cura siderum cursus contemplaretur , in foveam non sine vitæ periculo decidisse , quo facto vetulam quendam ad eum accessisse , verbisque asperioribus in eum ita invecam esse : Hem imprudens , ac stolide , quæ supra te sunt , cognoscere cupis , quæ vero ante pedes tuos sunt posita , & quæ scire debebas , prorsus ignoras ! An idem temeritatis , & imprudentiæ præmium Mathematico supra dicto à *Vetulis* nostris sit expectandum , alii judicent ; meum potius , omniumque bonorum votum est , ut gratia Dei salutifera , quæ illuxit quondam Paulo furibundo , hunc Virum , de re literaria optime alias meritum , è laqueis Satanæ tandem revocet , ne in barathrum æternæ delabatur damnationis. Quamobrem non possum non dulcissimis Salvatoris nostri Jesu Christi verbis , *Apoc. 2. 5.* eundem compellere : Memento , unde excideris , & resipisce , & priora opera facito : sin minus , veniam adversum te citò , & movebo candelabrum tuum à loco suo , ni resipueris. Scilicet hi sunt egregii fructus philantiæ , quæ ubi

primum

primum animum hominis occupavit, facillime eum movet, ut Romo libentissime transfiliat limites verecundia, se ipsum admittetur, intueatur, & nescio quid magnifici de se sentiat. Iste vero affectus ex animo eruditorum penitus erat evellendus. Periit homo amando se ipsum, & in viam salutis non nisi abnegatione sui, atque agnitione miseriae suae est restituendus. Detestabilis igitur *Fanaticorum* hodiernis temporibus est insania, qui potestatem sibi vindicant, scripturam pro arbitrio suo, & commodis, & aperiendi, & claudendi. Scriptura enim sacra non est *ιδίας επιλύσεως* 2. *Petr.* 7. 20. nec ex privato cujusque sensu, & praconceptis opinionibus ejusdem interpretatio, sed ex ipsius scripturae contextu est eruenda, & propriis sedibus, nec minus ad analogiam fidei, ad gloriam Dei, & aedificationem proximi referenda. Proprie vero per clavem Davidicam, quo Christus aperit, ut nemo claudat & claudit, ut nemo aperiat, potestas absoluta, & perfectissima summi gubernatoris ecclesiae suae, Jesu Christi, secundum humanam naturam ipsi data, intelligitur, quo verba spectant Christi *Matth.* 28. 28. Data est mihi omnis potestas in caelo, & in terra. Haec clavis Davidica si aperit, si Christus verbi sui splendorem emittit, nemo est, qui claudat, vel impedire possit, ipsius enim voluntati quis resistat *Rom.* 9. 19? Vicissim, si claudit, h. e. si verbi divini splendorem subtrahit, vel famem immittit in terram, non famem habendi panis, neque sitim aquarum, sed audiendi verba Jehovah *Amos.* 8. 11. quis praeter ipsum hunc thesaurum impertiat? Consolentur igitur se hac potentia filii Dei pii verbi divini Ministri, invidiae Diaboli, atque organorum ipsius

maxime

maxime expositi, qui omnes intendunt nervos, ut destruant, quod Christus opera ipsorum ædificavit, & sciant, non penes ipsos stare, ut aperiant vel claudant, sed penes unum, & solum Davidis filium, Regem Regum, ac cœli Dominum, qui solus habet immortalitatem, lucem habitans inaccessam *1. Tim. 6. 16.* Hic solus est, qui claudit, atque aperit, hic solus est, ad cuius nutum mare obmutescit, venti consulescunt, fluctus subsidunt, & horribilis omnium rerum confusio in insperatam quietem, & tranquillitatem componitur *Matth. 8. 26.* Hæc clavis Davidica Apostolo quondam Paulo tantam animi vim, tantumque robur addidit, ut, licet conquereretur, se totum diem, velut ovem maclationi destinatam, occidi, persuasum tamen haberet, eum neque mortem, neque vitam, neque Angelos, neque principatus, neque potestates, neque præsentia, neque futura, neque sublimitatem, neque profunditatem, neque ullam aliam rem conditam posse separare à charitate Dei, quæ erat in Jesu Christo, Domino suo *Rom. 8. 38. 39.* Is, qui mandavit Johanni, ut hanc epistolam exararet, (4) fuit *omniscius*. Ita enim de seipso testatur, se non ignorare opera Episcopi Philadelphiensis: *Novi tua opera.* Christus non solum secundum divinam naturam accurate cognoscit præsentia, præterita, futura, sed etiam juxta humanam naturam, ex gratia unionis, quia in ipso sunt absconditi omnes thesauri, & sapientiæ, & scientiæ *Col. 2. 3.* Unde videt, ac intuetur abstrusissimas humanorum cordium cogitationes *Joh. 2. 26.* quod solius Dei proprium est, ac infallibile Majestatis Christi secundum humanam naturam indicium. Desipiunt, qui in

corde

corde suo loquuntur : non respicit Jehova, nec animadvertit Deus Jacobi. Animadvertite ò brutissimi in populo, & stultissimi, quando intelligentes eritis? Annon plantator auris audiat, aut annon formator oculi intueatur? Annon castigatorem gentium,annon reprehendat? qui docet homines scientiam,annon agnosceret? *Psal. 94. 7. 10.* Væ abdentibus sese in profundum à Jehova consilium, qui existente in tenebris opere suo dicunt, quis videt nos, & quis animadvertit nos? *Jes. 29. 15.* Nulla enim non creatura manifesta est in conspectu ipsius, imò omnia sunt nuda, & intime patentia oculis ejus *Heb. 4. 13.* Quod verò Filius Dei perhibeat, se nosse hujus Episcopi opera, tam officii, quam caritatis, aliarumque virtutum, id ipsum non de simplici notitia, sed de scientia cum benevolentia, & gratia speciali conjuncta intelligendum est. Illud ergo Filius Dei vult indicare, sibi non tantum opera hujus Episcopi cognita esse, & perspectissima, sed etiam ipsius maximam in ornanda sua sparta fidelitatem, patientiam tam in privatis, quam publicis erumnis invictam, caritatem, & beneficentiam summam erga gregem fidei ipsius commissum, magnopere sibi placere; neque ideo periisse, si maxime hominum oculos fugiant. Se enim opera ipsius videre, se nosse, qui sint ejus, *2. Tim. 2. 19.* Hæc doctrina igitur primò conducit ad vitam pie instituendam. Quod si enim hominum oculos ita reveremur, ut nihil tam dictu, quam visu foedum peragamus, quanto magis nos sollicitè decet eniti, ne data opera aut studio peccemus, fœdisque criminibus conscientiam nostram polluamus, cum sciamus, omnes nostras actiones, omnia ver-

B

ba,

ba, omnia animi cogitata Judici vivorum ac mortuorum gravissimo, pariter ac sanctissimo Jesu Christo esse notissima. Prodest deinde ad consolationem piorum Praeconum verbi divini, suspiria, lacrymas, & preces eorum non esse vanas, sed certissime in memoriam ascendere, in Dei conspectu *Act. 10. 4.* Mundus proh dolor! ingratus more suo epicureo gravissimos officii ecclesiastici labores & molestias, onus sane *Ætnâ* gravius, minimi solet æstimare, contemneret, & odio plus quam vatiniano persequi, adeo, ut, si penes ipsam potestas esset, miseriam miserimorum Ministrorum nec curaret, nec sublevaret, ac ne par quidem obsoletissimorum calceorum (liceat mihi appositis maxime *Megalandri nostri Lutheri* verbis uti) ipsis indigentibus suppeditaret. Tanto in Christum, ejusque ministros flagrat odio! Contra sicut erga sinceros Christi Ministros Euclione fuit sordidior; ita omni tempore erga impios falsosque Doctores mira, ac infinita prodigalitati edidit exempla. Quis ignorat, sceleratissimam Jezabelem ultra octingentos de regia mensa Pseudopphetas cibasse? *2. Reg. 18. 19.* cum interea centum Prophetæ Domini in speluncas passim abditæ ægre pane, & aqua sustentarentur, Elia constante, & fidelissimo veri Dei teste in exilium expulso, ut fame, atque inopia consumeretur. Sic plerique hodie Principes, quorum majores sub Papatus tenebris ad alendos inutilium Monachorum greges ad stuporem usque fuere liberales, nunc erga sinceriores puri evangelii Doctores sunt sordide parci, imo vel sanctissimum Ministerium plane extinctum esse cuperent. Contra assentatores, & epicuri de grege porci ad arcana admit-

admit-

admittuntur, mensis assident, in pretio summo habentur, fideles vero Christi Oeconomi odium sustinent, diris excipiuntur, vinculis terrentur, in exilium mittuntur, imo quandoquidem suppliciis mulctantur, sicut Johanni, ipsiqve Christo contigit. Sed audite verbum Jehovah vaccae Baschanis, quæ estis in montanis Schomronis, quæ opprimitis tenues, quæ confringitis egentes, quæ dicitis Dominis illorum: affer, ut bibamus. Jurat Dominus Jehovah per sanctitatem suam, quod evenaturi sint dies vobis, cum tollet vos aculeis, & posteritatem vestram hamis piscatoriis *Amos. 4. 1. 2.* Quod si enim Deus sanguinem Abelis, clamantem ex terra de impietate fratris sui, audiverit, quidni clementissime exaudiat tantam vim suspiriorum, precum, & lamentationum, quas innocentes evangelii Praecones ob vestram crudelitatem profundere coguntur? Certe tu Deus ponis in utre tuo lacrymas tuorum, annon essent tibi in numerato? *Psal. 56. 9.* Non tamen idcirco Ministri in officio suo segnes deprehendantur, quin potius invitis, & reluctantibus praconium salutis offerant, in testimonium contra illos *Luc. 21. 13.* Christus enim novit opera ipsorum. En summam, atque irrefragabilem ipsius Christi tam de divina sua natura, quam majestate secundum carnem testimonii auctoritatem! Hæc enim dicit Sanctus, & Verax ille, qui habet clavem Davidis, qui aperit, ut nemo claudat, claudit, ut nemo aperiat, qui novit omnia. Quod testimonium cum sit ab ipsa veritate cœlesti profectum, omnibusque humanis testimoniis longe superius, & certius, merito ipsi fidem adhibeamus. Nunc igitur ad alteram hujus epistola partem, pro facultate, quam

suppeditat Deus, explamandam nos accingimus. Complectitur autem illa tam *honorificam valde hujus Episcopi commendationem*, quam *exhortationem Christi dulcissimis tinctam promissionibus*, ut in quo sublimiorem dignitatis gradum à Christo sit collocatus, eo majori fide, diligentia, & constantia officio suo satisfacere studeat. Initium hujus rei Christus facit à *notabili promissione*: *Ecce, dedi coram te januam apertam, quam nemo potest claudere.* Per ostium illud apertum saniores Theologi intelligunt cursum doctrinæ evangelicæ liberum, viam, atque facultatem verbum divinum cum summa animi lætitia, & fructu prædicandi. Diabolus enim, quia novit, evangelium Christi esse potentiam Dei ad salutem cuivis credenti *Rom. 1. 16.* diligentissime in eo est occupatus, ut semen illud sanctissimum in primo quasi flore suffocet. Hinc bella movet tam ad dextram, quam sinistram, gravissimas persecutiones, & convitia excitat, quibus extingvat lucem illam dulcissimam, omniaque summo studio convasat, quæ remoram, & impedimentum verbi divini prædicationi injicere posse videntur. Hoc furore quondam Judæos accendit, ut ad opprimendum Paulum confluerent, clamantes: *Viri Israelitæ succurrite, hic est homo, qui adversus populum & legem ad locum hunc omnes ubique docet, atque adeo gentes introduxit in templum, & polluit sanctum locum Act. 21. 28.* Nec convitiis abstinere, si quando sinistri quid evenit, sed protinus culpam confert in miseros, atque innocentes Christi confessores, ipsos conflare turbas, bella, seditiones. Hoc crimen quondam Eliæ impius ille Achabus Rex Israelitarum objiciebat, quando

quando tam inverecundis ipsum incessere verbis non dubitavit : Tunc ille es, perturbator Israelis *1. Reg. 18. 17.* Mundus enim beatos judicat, qui omnium hominum favorem, applausum, & benevolentiam sunt consecuti, contra vero fugit, ac detestatur, quæ, licet justa sint, odium tamen & infamiam secum trahere videntur. Cursum igitur evangelii liberum, lætissimumque fructum Christus pollicetur, ita, ut neque Judæi, neque organa Diaboli Pseudo - Apostoli eum intercipere queant. Hinc discimus, à quo fructus sacri proveniat ministerii. Non sane ab hominibus, à ministris piis, & sanctitatis studio præ cæteris deditis, quemadmodum *Barbarus ille Hallensis, omnium barbarorum, qui sunt, fuere, aut futuri sunt, longè barbarissimus*, ut ita loquar, somniat, sed à solo Christo. Hic enim solus Doctoribus ecclesiæ suæ apertum largitur ostium, ut cum fructu verbum ipsius prædicare possint. Et hæc orthodoxa, & constantissima ecclesiæ Christi semper fuit confessio, fructum, virtutem, & efficaciam verbi divini non à personæ ministrantis dignitate, sed à sola ordinatione Christi dependere. De Juda minime dubium est, quin una cum Apostolis evangelium Christi prædicaverit, homines ad pœnitentiam excitaverit, & miracula ediderit. Num vero dicendum, quicquam virtutis verbo divino impietate Judæ decessisse ? Absit ! Quodsi igitur solus Christus, sicut audivimus, ostium proponit apertum, ultro intelligent pii, & fideles verbi Ministri, suarum esse partium, precibus ardentissimis se, suumque gregem Christo commendare, ut dignetur ostium ipsis referare, h. e. pectora donare, quæ esuriunt,

& sitiunt iustitiam Christi *Matth. 5. 6.* nec desperent de laboribus docendi, cum non è vestigio vident fructum suarum concionum. Ipsi sedulo faciant officium, diligenter orent, & Deo committant eventum, nec dubitent, laborem ipsorum per Dei gratiam non fore inanem. Quemadmodum enim semina terræ mandata non mox primo anno propullulant, sed nunc secundo, nunc tertio, sic etiam semen verbi divini nonnunquam in animis hominum absque fructu jacet, progressu vero temporis succrescere incipit, nec contemnendos fert fructus. Nam per ministerium eorum Christus pulsat, monetque, ut aperiant sibi *Apoe. 3. 20.* Rationem, & causam, ob quam huic Episcopo Christus apertum dederit ostium, ipse Salvator exponit verbis sequentibus: quia *μικρὰν δύναμιν, exiguam habes virtutem.* Sunt, qui per exiguam virtutem significari contendunt, infirmum auxilium, & præsidium, quo Episcopus ille adversus Satanæ tela, & insultus mundi, quibus expositus erat, se tuebatur. Et hæc est imago omnium piorum, qui sunt afflictæ, consolatione destituti, procellis & fluctibus omnium calamitatum exagitati *Jes. 54. 11.* qui neminem habent, quæ ipsi patrocinetur. Commodius autem alii interpretantur, qui per *δύναμιν μικρὰν* intelligunt exigua dona, collata ad aliorum virtutes, & operationes stupendas: consolari igitur Dominum voluisse hunc Episcopum, ne desperet ob modicam virtutem, & exigua dona. Omnia se conferre ad ædificationem dona, neque se multos nobiles, multos sapientes, multos potentes elegisse, sed quæ sunt infirma, ut pudefaciat valida, & quæ sunt ignobilia in mundo, & pro nihilo habita,

habita, & ea, quæ non sunt, ut ea, quæ sunt, destruat
1. Cor. 1. 27. 28. Ego existimo, Episcopum hujus
ecclesiæ pium & fidelem variis expositum fuisse infir-
mitatibus & animi, & corporis, ut minus ex sententia
provinciam, quam ceperat jussu Domini, satis duram,
& gravem administrare potuerit, nec dubito, eum mi-
seriam suam nonnunquam calidissimis in sinum Chri-
sti effudisse lacrymis, ardentissimisque expetiisse sibi
à patre luminum precibus, vires majores, officium
suum rite, & recte obeundi. Et hæc iterum est ima-
go, & fortuna piorum hac in vita Christi Ministrorum!
De voluptatibus, lætitia, firma valetudine, & læta for-
tuna non multum sibi polliceri possunt, sed morbi, crux,
luctus, & miseria sunt quotidiani eorum hospites.
Piorum igitur infirmitates non semper sunt signa iræ
divinæ, quos enim Dominus diligit, hos castigat *Ap.*
3. 19. Sed sæpe in iis exemplum proponit impœniten-
tibus, ut cogitent, si hoc sit in ligno virido, quid futu-
rum sit in arido. Consolatur igitur eum Dominus,
sibi nihilominus gratam esse ipsius pietatem, quod,
etiamsi cum multis quotidianis, & maximis conflicte-
tur infirmitatibus, laudabilem tamen viribus suis exi-
guis præstiterit fidem, quod observaverit sermonem
ejus, nec abnegaverit nomen ejus, ut vis verborum
sequentium est: *Exiguam habes virtutem, & servasti
verbum meum, nec abnegasti nomen meum.* Per
sermonem suum Christus intelligit non legem Mosai-
cam, sed doctrinam evangelii sui, quod è sinu Paren-
tis æterni protulit, per τὸ servare sermonem vero, non
tantum memoria eandem fideliter retinere in corde
bono, & probato, sed etiam eldersa obsecundare, &

afferre fructum in patientia *Luc. 8. 15.* Ex quo sole
 clarius apparet, fundamentum fidei non esse amorem
 Dei, & proximi, & odium ac contemptum sui ipsius,
 quemadmodum hodierni nugantur *Indifferentista.*
 Quodsi enim fundamentum fidei tantummodo in vita,
 nec etiam in doctrina vera quærendum esset, quid opus
 fuisset, tantopere hunc Episcopum extollere, ob serva-
 tum sermonem Christi, seu doctrinam de persona, &
 officio Christi in scriptura propositam? Quid opus
 fuisset, ut Christus reprehenderet cultum Judæorum?
Job. 4. 22. Licet enim hi cultum suum ad Deum juxta
 exempla patrum suorum dirigebant, vanum tamen
 eum Christus esse ostendit, quia sine vero de Deo sensu,
 sine doctrina evangelica tum temporis peragebatur.
 Notitia enim, & sensus de vero Deo præluere debet in
 vero Dei cultu, sine qua cultus omnis mere est idolola-
 tricus, vanus, & superstitiosus. Non minima igitur
 est laus hujus Episcopi, quod Christum, fundamentum
 fidei unicum, & solum *1. Cor. 3. 11.* fide ita intuitus, &
 amplexus sit, sicut persona & officium ejus in pro-
 missionibus evangelicis nobis offertur. Pari modo
 nomen Christi significat universam doctrinam de per-
 sona & officio ejus, non abnegare vero nomen Christi,
 est, ex animo Christum tanquam Filium Dei, & Salva-
 torem unicum diligere, in eo omnem fiduciam collo-
 care, in eaque fide expectare beatam illam spem, & illu-
 stre illum adventum gloriæ, magni illius Dei, ac
 Servatoris nostri Jesu Christi *Tit. 2. 13.* sicut è contra-
 rio abnegare significat, rei alicui ex animo renunciare,
 eam prorsus aspernari, usque adeo, ut licet in potestate
 mea sit, illam neque nosse, neque uti velle, neque
 ullam

ullam consuetudinem cum ea habere, quemadmodum pater dicitur filium abnegare, quem non amplius pro suo agnoscit, nullis beneficiis afficit, nulla paterna benevolentia prosequitur. Prædicat ergo Christus hunc Ecclesiæ Philadelphiensis Præsulem, quod non solum ex sacra scriptura vera ac solida doctrinæ Christianæ de vero Deo, & Messia fundamenta hauserit, sed etiam revelatam sui cognitionem veræque fidei lucem magnificerit, constanter confitendo tuitus sit, neque se minis aut violentia hominum absterri, sive blanditiis aliis ad contrariam religionem, alluci se passus sit. O constantiam generosam! O pectus magnanimum! Et ô laudem vere magnificam, & immortalem, quam Christus attribuit huic Episcopo! O decus, & ornamentum præstantissimum! Utinam illud considerarent *Protei*, & *Polypi hodierni temporis*, qui vera fide illuminati, postea scientes, & volentes ab illa gratia deficiunt, Dei misericordiam aspernantur, meritum Christi conculcant, & in finali impœnitentia contra Deum, & manifestam veritatem perseverant. In constanti enim & immota veritatis confessione omne momentum salutis nostræ consistit. Utinam etiam hoc exemplum intuerentur hodierni *Pietistæ*, qui splendidis verbis multum de religione garrunt, factis autem virtutem ejus abnegant, præcipites, inflati, voluptatum amantes potius, quam amantes Dei 2. *Tim.* 3. 4. 5. & qui, postquam à veritate semel agnita defecerunt, sanam doctrinam sufferre non possunt, sed auribus prurientes ipsi sibi secundum peculiare suas cupiditates cocervarunt doctores 2. *Tim.* 4. 3. O beatos, qui sermonem Christi fideliter servant! Ad

hos enim ipsum cum Patre cœlesti venturum, & sedem apud eum fixurum declarat *Job. 14. 23.* cujus promissionis tesseram quasi & luculentissimum testimonium hunc Episcopum accepisse putet, quando Christus ei fidem dat certissimam, se gratia, & præsentia sua nunquam ipsi in afflictionibus super totum terrarum orbem venturis defuturum: *Ecce, dedi è synagoga Satanae, qui dicunt, se ipsos Judæos esse, cum non sint, sed mentiantur: ecce, faciam, ut isti veniant, & incurvent se coram pedibus tuis, cognoscantque, quod ego dilexerim te. Quia servasti verbum patientiæ meæ &c.* Illis, qui veram habent Dei cognitionem, satis superque ex sacris literis constare arbitror, Deum nullo modo esse causam peccati. Quando vero hic dicit Christus, se daturum esse, qui sunt ex synagoga Satanae, verba ea non de causali malitiæ, & malitiosorum productione, sicut *Reformati* docent, sed de abstractione gratiæ suæ, qua deserit Deus, deserui dignos, intelligenda sunt, iusta, & judiciaria, quando Deus ab ingratis hominibus verbi sui splendorem aufert, qui malitiose sicut Pharao gratiæ diviniæ obicem ponere, seque ipsos gratia Dei indignos reddere solent. Hæc igitur omnia non ut Deo agente, sed potius permittente sunt accipienda, nec inusitatum est S. Scripturæ, permissionem ejus, ut actionem, & operationem docere. Testantur id quam plurima exempla, & dicta sacrae scripturæ, indurationem partim hominibus, partim Diabolo, partim Deo adscribi, sed diversimode. Hominibus quidem secundo, quia Diaboli suggestionibus locum relinquunt, rejectis Spiritus Sancti monitis piis, & salutaribus, Diabolo vero primario, qui tanquam

Deus

Deus hujus seculi excecatur mentes infidelium, ut non fulgeat ipsis illuminatio evangelii Jesu Christi 2. Cor. 4. 4. Denique Deo, ratione poenae, qui justo iudicio malitiam eorum, qui beneficium salutis repudiant, punit, eosque Diabolo, & sibi met ipsis relinquit, non *impertiendo malitiam, sed non impertiendo gratiam.* Neve opus est, ut Deus in ejusmodi hominibus, quando peccant, & peccando pereunt, novam malitiam creet, cujus respectu gravior damnationis causa reddatur, cum ipsi sponte in omne scelus ruant, & ne propriae quidem conscientiae credant testimonio, ut frenos injiciant peccatis suis. Tales hi erant, quos Christus se daturum dicit, ex synagoga Satanæ, omni flagitiorum genere contaminati, impii, qui Dei gratiam transferebant ad libidinem, & lasciviam, & solum illum verum Deum, & Dominum nostrum Jesum Christum negabant *Jud. v. 4.* Sed objiciant *Reformati*, Christum dicere, se daturum eos. Quid inde? Ergo est causa hæreseos, causa peccati? Minime, sicut enim non licet argumentari: David progenit Absalonem filium suum. Ergo etiam David est causa scelerum ab impio, & scelesto filio perpetratorum; vel ut clarius rem proponam: Pater mihi dedit pomum vitiosum, ergo est causa pomi vitiosi: ita quoque non sequitur; Christus mittit eos, qui sunt ex synagoga Satanæ, ergo Christus est causa hæreseos, & peccati. Nam sicut Christus non est causa causæ, videlicet synagogæ Diabolicæ, nec est Deus, qui delectetur iniquitate *Psal. 5. 5.* ita nec est causa causati, nempe alumnorum synagogæ Satanæ, adversus veritatem insurgentium, sibi ipsis vero pro duritia sua, & corde, quod respicere nescit, iram Dei

Dei

Dei in diem iræ tanquam thesaurum recondentium
Rom. 2. 5. Præterea quoque notandum, Christum
dicere, se daturum de synagoga Satanæ, non eo fine,
ut sint, & permaneant tales, sed ut convertantur, &
vivant. Deplorandum profecto, Satanam, ubicun-
que Christus Scholam suam aperuit, ibi etiam syna-
gogas suas, tam multas, quot sunt opera carnis ab
Apostolo *Gal. 5. 19. 20. 21.* recensita, ædificasse, ho-
minesque perversos majori voluptate ejusdem, quam
Christi frequentare Scholam. Ex eorum numero non
tantum sunt *Epicuri de grege porci*, qui suis cupidi-
tatibus tantummodo, & mundo inserviunt, sed etiam
quidam *Aulici, sive Politici*, qui omnem religionem
ludibrio habent, & eousque eam fovent, & ample-
ctuntur, quousque ad dignitatem, commodum, &
voluptatem suam eam expedire arbitrantur, interim
ita vivunt, ut eos Empæctas esse *2. Pet. 3. 3.* & neque
Deum, neque Satanam, neque cælum neque infernum
credere manifeste appareat. Horum lateri sese asso-
ciaverunt hodierni *Indifferentistæ*, qui sanctissimam
Christi scholam, extra quam nulla est salus, præter-
gressi, in synagogam Satanæ abrepti sunt, in qua di-
dicere, hominem in quacunque religione posse salvari.
Et quid dicam de *Pontificiis*, aliisque *hæreticis*?
quid dicam de *Pietistis*, singularem sanctitatem præ se
ferentibus, atque affirmantibus, hominem ita pie
vivere posse, ut nullos peccati stimulos sentiat, annon
in eadem schola, & synagoga videntur edocti? Sane
jam inde à tot seculis excitavit Satanus temerarios
homines, qui se Apostolos, & sinceros Doctores jacti-
tarunt, mendaces autem semper reperti sunt. Tales
qvon-

quondam erant hi *Judæi*, qui quidem assumebant fœdus Domini in ore suo, revera autem averfabantur disciplinam, & verba Domini susque deque habebant, simulac videbant furem, acquiescebant ei, & cum adulteris faciebant, os suum adhibebant ad malum, & lingua sua concinnabant dolos *Psal. 50. 17. 18. 19.* Unde Christus eos nominat mendaces, h. e. tales, qui hominibus quidem persuadere volebant, se esse veros discipulos Christi, intra animum vero Christum, ejusque discipulos cane pejus, & angue fugiebant. Horum vestigiis perquam bene hodierni insistant *Pietistæ*, negantes, hominem regnitum peccare posse. Sed quid aliud specie illa sanctitatis eximia efficiunt, quam, quod teterrimos errores in ecclesiam Dei invehant, mendaciisque suis simplicioribus imponant. Quod si enim dixerimus, nos non peccasse, nec peccatum habere, nosmet ipsos fallimus, & veritas in nobis non est, si vero confiteamur peccata nostra, fidelis est, & justus, ut remittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniquitate *1. Job. 1. 8. 9.* En pulcros discipulos, en pulchram synagogam, & pulchrum Doctorem, quem Christus genuino nomine, & omine appellat patrem mendacii *Job. 8. 44!* Videmus hîc, nullum fere collegium tam purum, nullum ordinem tam sanctum esse, cui non aliqui ex synagoga Satanæ admixti sint. Ita Christus *Judam* habuit, synagogam Satanæ frequentantem. Temerarii igitur sunt, qui universam damnant ecclesiam nostram, quod in tam numeroso cœtu plurimi aliquando inveniantur, qui præter officium multa faciunt, quæ gravem merentur censuram. Magis improbi sunt, qui sub hac prophasi, ut sanctius vivere possint,

possint,

possint, à toto corpore ecclesiæ discedunt, & clancularia collegia hinc & inde instituunt. Unde semper inveniunt, quod in Ministris Dei carpant. Nunc generis obscuritatem obijciunt, nunc cognationem ipsorum paulo illustriorem false derident, nunc alterius eruditionem præclaram despiciunt, nunc alterius simplicitatem ludibriis exponunt. Ast hi revera sunt de synagoga Satanæ, qui primus fuit calumniator, Momusque operum divinorum, & qui adhuc eandem artem ceu primum rudimentum discipulis suis instillat. Interim jucundissima, & solatii plenissima sunt verba, quibus Christus poenitentiam, & conversionem nonnullorum ex synagoga Satanæ alumnorum pollicetur, inquit: *Faciam, ut isti veniant, & incurvent se coram pedibus tuis, cognoscantque, quod ego dilexerim te.* Impius *Papa Romanus*, semel verecundiæ fines transgressus, non veretur ex his verbis concludere, potestatem sibi à Christo datam esse, homines vi compellendi ad religionis suæ professionem. *Papæ!* Quænam vero est convenientia inter Papam, & Christum? quod enim consortium justitiæ cum legis transgressione? & quæ communiõ lucis cum tenebris? Et quæ concordia Christo cum Belial? *2. Cor. 6. 15.* Quænam est consequentia: Christus cogit, ut veniant, Ergo Pontifici Romano licet cogere? Annon simili modo concludere possem: Christus mortuus, & crucifixus est, Ergo Pontifex Romanus crucifigi, & mori debet? Sed apage cum istis nugis! O illustre verò potius documentum gratiæ divinæ interminabilis, atque ineffabilis, contra *Terministas* recentiores probe notandum, qui hoc solatium nobis suspectum reddere nituntur.

nituntur. Nunquam scilicet Christus hominem peccatorem ita deserit, quin gratia sufficiente, converte-
 tente, & revocante eidem perpetuo assistat, dulcissimis
 hisce verbis eum ad pœnitentiam vocans: Revertere
 averſa anima, revertere, sic non faciam, ut irruat facies
 mea irata in te, nam benignus sum, non asservo iram in
 seculum, tantummodo agnosce iniquitatem tuam, te à
 Jehova Deo tuo defecisse *Jer. 3. 8.* quemadmodum
 etiam hic promittit, se nonnullos ex synagoga Satanæ
 conversurum, atque è faucibus Cacodæmonis ereptu-
 rum. Ille enim est, qui apud Prophetam *Jesaiam c.*
65. 1. tota die expandit manum suam ad populum in-
 credulum: ille fidelis est cultor vineæ, qui pro sterili
 ficu apud Dominum vineæ intercedit, ne eam excin-
 dat, & diligentiore culturam promittit; si forsan
 fructum ferre recuset *Luc. 13. 6.* Ille est indefessus
 paterfamilias, qui à summo diluculo ad ultimam diei
 horam exit, ut operarios in spiritualem suam vineam
 vocet, *Matth. 20.* ideoque ab hac sua fide, & amore
 non patitur se dimoveri hominum vel malitia, vel in-
 gratitudine. Non enim spectat, quid homines me-
 reantur, sed quid sit officii sui, ut ubivis locorum, &
 semper se verum mundi salvatorem ostendat. Quod si
 nonnulli hanc suam gratiam pertinaci impietate con-
 temnant, instat tamen & pulsat, nec quenquam vult
 perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti *2. Pet. 3. 9.*
 Sic nonnunquam fecit, ut infensissimi ecclesiæ hostes,
 & persecutores conversi, seriam egerint pœnitentiam,
 relictaque prorsus synagoga Satanæ ad Christi Scho-
 lam se receperint, quemadmodum in Paulo videmus.
 Causam denique, propter quam convertendi sint isti ex
 syna-

Synagoga Satanæ, ipse Christus indicat verbis sequentibus: *Faciam, ut isti veniant, & incurvent se coram pedibus tuis, cognoscantque, quod ego dilexerim te.* Non patrocinari istis verbis voluit Christus impiæ, & prophanæ Pontificis Romani consuetudini, qua cœu lege severe postulat, ut Reges & Principes ipsum adorent, pedesque ipsius osculentur, item, ut sancti demortui invocentur. Præterquam enim, quod ne γὰρ quidem, seu minimus apex de invocatione sanctorum in textu inveniatur, utpote toties in sacris literis damnata, cum sancti demortui nec sint omnipræsentes, nec omnipotentes, nec omniscii, adoratio ibidem tantum externum, & civilem significat reverentiam, illo tempore usitatam, minime vero religiosum cultum, qui soli Deo competit. Et si vel maxime ea verba fideiulis constringerentur, nihil tamen aliud evinci posset, quam dilectos Dei honore, & reverentia esse dignos. Quisnam vero est Papa? Num dilectus Deo? Utinam esset, qui non est. Utinam non esset, qui est, nempe missus à Diabolo, & filius perditionis 2. *Theff. 2. 3.* Illud ergo tantum innuere vult Salvator, adversarios venturos, & pro more tum temporis usitato reverentiam huic Episcopo debitam incurvato corpore exhibituros, culpamque suam deprecaturus, eodem modo, quo filii Jacobi fratrem suum Josephum adorasse leguntur *Gen. 42. 7.* & custos ille carceris ad pedes Pauli, & Syllæ prostratus procidit *Act. 16. 29.* Fatui quoque & Fanatici sunt, qui ex hisce verbis, aliisque scripturæ locis elicere conantur, applausum adversariorum genuinam esse veritatis notam. Nam sicut doctrinæ falsitas minime ex mundi insectatione, ita quoque
ejusdem

ejusdem veritas non ex mundi applausu, sed solo im-
 moto verbo Dei est æstimanda. Annon doctrina
 evangelica est verissima? quem vero applausum obti-
 net? Contra annon doctrina hæreticorum est falsis-
 sima, verboque Dei è diametro contraria? Annon
 illam omnes fere nobiles hujus mundi prono pectore
 amplexantur, summoque favore prosequuntur? Id-
 circo non est, quod dubitemus de religionis nostræ
 veritate, quando animadvertimus, homines excæca-
 tos eam fugere, convitiis proscindere, & persecutioni-
 bus exagitare, idem enim Christus, & discipuli ejus
 experti sunt. Notandum etiam est, hosce conversos
 venturos, non eo fine, ut applausum dent doctrinæ
 Christi, sed ut cognoscant, hunc Episcopum Christo
 esse dilectissimum. Christus enim non indiget ho-
 minum testimoniis, cum sit ipsa veritas, omni-
 que fide humana, sicut supra audivimus, superior, neque
 quenquam cogit vel vi, vel promissionibus, ut applau-
 su suo unam, solam, & immutabilem veritatem, quam
 à sinu Parentis cœlestis protulit, confirmet. Hoc
 igitur omnibus piis & fidelibus ecclesiæ doctoribus
 latium sit maximum, se Christo summopere esse di-
 lectos, ipsiusque medullis quasi infixos, licet omnium
 hominum odia sustinere cogantur. Equidem Chri-
 stus dilectione sua totum genus humanum complecti-
 tur, bonos, malos, justos, injustos, & ingratos, solem-
 que gratiæ suæ universalis exoriri facit super malos,
 & bonos *Matth. 5. 45.* speciali tamen misericordia,
 & benevolæ voluntatis inclinatione propendet in fide-
 les, piosque verbi sui Ministros, quemadmodum ipse
 verbis elegantissimis hic, & *Jer. 31. 20.* declarat: An-

C

non

non filius charus est mihi Ephraim? annon natus sum-
 mæ oblectationis? nam ex quo locutus sum contra eum,
 omnino recordor ejus adhuc, idcirco mihi perstrepunt
 viscera mea propter eum, omnino miserebor ejus. O
 gratiam omni favore hominum, Magnatum ac Princi-
 pum, ô gratiam Christi paternam omnibus mundi
 divitiis merito præferendam! Cujus dilectionis, &
 amoris divini fructum hunc quoque Episcopum perce-
 pisse, nullum est dubium, ingruentibus persecutionum
 tempestatibus. Ita enim Christus ipsi sanctissime pol-
 licetur: *Quia servasti verbum patientie meæ, ideo
 ego servabo te ex hora tentationis venturæ super orbem
 terrarum totum, ad tentandum habitantes super
 terrâ.* Per horam tentationis intelligit tempus illud
 tristissimum, quo Reges, & Proceres terrarum furore
 Diabolico accensi consilium capturi sint adversus Jeho-
 vam, & contra Christum ejus, de extirpanda ecclesia
Psal. 2. 3. Hæc tentatio ab origine mundi insepara-
 bile fuit veræ ecclesiæ accidens, quæ sanguine Christi
 fundata, sanguine piorum Martyrum succrevit, &
 sanguine adhuc propagatur. Aliàs duplex est tenta-
 tio, nimirum alia deceptionis, alia probationis. Illa
 utitur Diabolus, *πειράζων* proprie dictus *Matth. 4. 2.*
 dum homines sollicitat, & impellit ad malum, eosque
 non tantum impios, v. g. Saulem, ut Davidem interficeret
1. Sam. 19. & Judam, ut proderet Dominum *Job.*
13. 2. Ananiam, ut mentiretur Spiritui Sancto *Act.*
5. 3. sed etiam pios, ut Davidem *1. Par. 22. 21.* & Apo-
 stolos, qui de primatu litigabant, quod discrimen Chri-
 stus ipsis hisce notatu dignissimis verbis ante oculos
 proponit *Luce. 22. 31.* *Simon, Simon, Satanas appetit*
 vos,

vos, quos ventilaret sicut triticum. Adversarius enim noster est infensissimus, obambulans, ut leo rugiens, & quærens, quem devoret 1. Pet. 5. 8. Imo adeo impudens est Spiritus, ut Christum tribus vicibus tentare ausus sit Matth. 4. 3. Hanc ad rem utitur interdum externis mediis, interdum id efficit per internas suggestiones pravas, quibus alium inducit, & sollicitat ad avaritiam, alium ad superbiam, alium ad libidinem, & id genus alia flagitia, imo tandem ad desperationem. Tentationum vero ipsius gravissima est persecutio, quæ ecclesiam Christi sicut Sodomam, & Gommorram delere nititur. Has tentationes Deus permittit, partim ut homines cum timore, ac tremore salutem suam operentur Phil. 2. 12. partim, ut infirmitatis suæ memores humilitatem sectentur, & superbiam fugiant, partim, ut aliis testata reddatur piorum fides, & sinceritas, multoquæ pretiosior auro, quod perit, inveniat 1. Pet. 1. 7. quemadmodum Christus etiam hic testatur, *tentationem venturam in universum orbem, ad explorandos incolas terræ.* Et hæc est tentatio Dei ad bonum, sive probationis, quæ sicut Præceptor discipulum explorat in iis, quæ didicit, ita fidelium suorum fidem, & spem, & dilectionem probat, non quæsi ignoret, quid in ipsis sit, sed ut aliis eandem pateficiat, animumquæ eorum præparet, ad agonem cum Satana eo fortius sustinendum. Idcirco Christus cum tentationibus conjungit *consolationem suavissimam, se servaturum hunc Episcopum in ejusmodi afflictionibus: Et quia servasti verbum patientiæ meæ, ideò ego servabo te.* Plane mirabili modo Christus suos solet conservare, ne abyssu tentationum

devorentur, vel præmatura morte ipsis præveniendò, vel alia ratione, sicut ipsius placuerit omnipotentia. Ita *Josephum, Jacobum, populum Israeliticum, Davidem, Daniele* cum tribus *Viris* in fornace babilonica, & in mediis flammis servavit, & ab omni malo liberavit. Deus enim fortis nobis est Deus fortis ad salutem omnimodam, & *Jehovæ Domino* sunt exitus contra ipsam mortem *Psal. 68. 21.* Ille est fidelis Deus, qui non sinit suos tentari supra id, quod possunt, sed una cum tentatione præstat etiam exitum, ut possint eam sufferre *1. Cor. 10. 13.* Ille novit pios è tentatione eripere, injustos autem in diem judicii pœnas dantes servare *2. Pet. 2. 9.* Nec exigua pars consolationis in eo latet, quod Christus horrendos illos tentationum fluctus, seu tempora persecutionis horam appellat, non dies, non annos, non æternitatem, sed brevem moram, breve momentum, & nubeculam quasi citò & horæ spatio transituram. Ita Christo sunt horæ tum crucis, tum lucis. Horæ crucis, seu tristitiæ præcedunt, horæ lucis seu lætitiæ sequuntur, sicut ipse discipulos suos consolatus est *Job. 16. 22.* Vos nunc quidem tristitia tenemini, sed rursus videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Denique Christus causam, ob quam in tantis rerum angustiis huic Episcopo subsidio venire velit, indicat hisce verbis: *quoniam servasti verbum patientiæ meæ.* Per sermonem tolerantia Christi nihil aliud significari existimo, quam sanctissimam, pariter ac patientissimam vitam, passionem, & mortem Salvatoris nostri Jesu Christi, in historia evangelica expressam, ubi videmus, quam multa nostri causa Christus sit passus, quomodo

modo tanquam facinorosus captus, vinculis confri-
ctus, à nefariis Pontificum servulis consputus, colaphis
multatus, à militibus virgis cœsus, spinis coronatus,
& tandem cruci suffixus sit. Pariter quomodo à do-
mestico discipulo proditus, in concilio tanquam
schismaticus examinatus, & condemnatus, ab Herode
delusus, impiis & latronibus postpositus, in cruce ceu
seductor nominatus, & omnis generis opprobriis, &
contumeliis obrutus fuit. Per servare verò sermonem
tolerantiæ Christi planissimè intelligo, ipsius invictam,
& infractam patientiam, non solum ex animo diligere,
& magnificare, sed etiam tanquam *ὑπογραμμὸν*,
& exemplar intueri, vitæ sanctitate, bonisque operi-
bus illud exprimere, & sic vestigia Christi subsequi
1. Petr. 2. 21. Procul dubio pius hic, & fidelis Episco-
pus omni impetu, & studio in id incubuit, ut audito-
ribus suis Jesum Christum ante oculos cum Paulo de-
pingeret, *Gal. 3. 1.* eò fine, ut (1) considerarent, quan-
ta, & quam horribilis sit peccatorum atrocitas, quanta
itidem justitiæ divinæ severitas, cum Deus unigenitum
filium suum, & dilectissimum potius mori, quam pec-
catum impunitum dimittere voluerit: (2) ut perpende-
rent bonitatem & misericordiam Dei plus quam pater-
nam, qui per mortem filii sui homines ab æterno libe-
raverit exitio: (3) ut cogitarent, nullam aliam esse viam
salutis, nec aliud medium hominibus datum, in quo
oporteat eos salvos fieri, quam mortem, & sanguinem
Jesu Christi, sufficientissimum pro peccatis totius mundi
lytrum, *Act. 4. 14. 1. Job. 2. 2.* (4) ut scirent, eos
æterna morte, & interitu dignissimos esse, qui hunc
Salvatorem vera fide amplecti, in eoque fiduciam col-

ocare reculent. O quam bene Doctores ecclesiæ suo gregi consulunt, si verbum patientiæ Christi auditorum suorum animis quam diligentissime instillant, nec cum Apostolo quicquam ad salutem sciunt, præter Jesum crucifixum *1. Cor. 2. 2.* Quantum quæso decus, & ornamentum est ecclesiæ Dei, si etiam id, quod dicunt, & prædicant in nomine Christi, faciunt, vitæque inculcata, & factis honestis secundum typum Salvatoris sui doctrinam veram comprobant. Experientia enim testatur, malum ministrum plus vitæ impia destruere, quam ædificare sana doctrina. Idcirco Ministrum unumquemque decet, non tantum gregi suo vera præluere doctrina, sed etiam bonis operibus, adeoque conscientiæ suæ satisfacere tam coram Deo, quam coram hominibus. Ea siquidem est hominum indoles, ut videntes mala docentium opera, non glorificent Deum, sed blasphement, non illustrent, aut ornent doctrinam evangelii, sed obscurant, aut maculent. Talem hunc igitur Ecclesiæ Philadelphiensis Episcopum fuisse existimemus, qui non solum expressam tenuerit formam sanorum verborum cum fide, & charitate, quæ est in Christo Jesu *2. Tim. 1. 13.* sed etiam bonis gregi suo prævit exemplis, cum Paulo *Phil. 3. 17.* eum sic compellans: Estote, fratres mei, simul imitatores, & eos considerate, qui ita ambulant, sicut nos habetis pro typo, & exemplari. Tandem Christus adjungit *singularem exhortationem ad constantiam, & perseverantiam*, argumento ducto, à propinquo, & proprio suo adventu: *Ecce, venio citò.* Ipsa scriptura sacra alias clamat, Christum, dum ascendit supra omnes cælos, ut impleret omnia *Eph. IV. 10.* ad dextram omnipotentis

potentis & omnipræsents patris secum evexisse humanam naturam, in qua tota plenitudo Deitatis inhabitat corporaliter, quamobrem ipsa quoque non tantum in filio Dei, sed etiam ecclesiæ, atque omnibus creaturis præsens esse, recte dicitur. Quando vero hic Christus pollicetur, se cito venturum, tunc non existimandum est, eum ex longinquo, & immenso intervallo esse absentem, aut per alium, sicut Reges, ecclesiam suam administrare, quò enim ibimus à Spiritu ejus, aut quò à facie ejus fugiamus? Si scandimus cœlos, illic est, si ponimus stratum in sepulcro, illic adest, si assumamus alas auroræ, habitaturi in extremitate maris, etiam illius manus deducet nos, & illius dextera prehendet nos, *Psal. 139. 7. 8. 9.* sed de speciali gradu præsentiæ Christi, de adventu gratiæ intelligendum est. Juxta hanc gratiosam præsentiæ & adventum ecclesiam suam gubernat, ejus ministerio benedicit, per baptismum regenerat, in sacra cœna corpore & sanguine suo pascit, piorum preces exaudit, hostes coerces, & tandem fideles ab omni malo liberat. Tumultuantibus igitur persecutionum tempestatibus Christus pollicetur, se cito venturum, se ecclesiam suam fere oppressam erecturum, se omnium calamitatum æstus fideliter sedaturum, se pacem conscientis afflictis allaturum, se denique effecturum, ut omnia adversa fidelibus suis cooperentur in bonum *Rom. 8. 28.* O dulcissimam promissionem! Non enim tardat Dominus, inquit *Petrus 2. Epist. 3. 9.* sed veniens venit, *Hab. 2. 3.* Itaque patienti animo crucem nostram feramus, veraque fide, piisque precibus auxilium ejus expectemus, subinde ingeminantes: Veni, Domine Jesu, veni *Apo.*

22. 17. Quibus præmissis huic Episcopo postremò commendat, ut perseveret in bono. *Tene, quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Laudabilis sane, & tum Ministro verbi divini, tum omnibus piis dignissima virtus est, bene incepisse, bene finivisse. Qui enim perseveraverit usque ad finem, salvus erit, *Matth. 10. 22.* Filii Israel, postquam egressi erant ex Ægypto, bene incipiebant, male vero finiebant, corde & mente in desertis eodem respicientes, atque ollas carniū, cucumeres, & cœtera gulæ irritamenta optantes *Num. 11. 5.* unde nemo eorum ingressus est in terram promissionis, sed omnes perierunt. Uxor Lothi, Sodomorum terram egressa, bene incepit, male vero finivit, postquam corporis atque animi oculos retrorsum flexit, exitiumque, quod divino beneficio effugere poterat, incurrit *Gen. 19. 26.* Nemo enim, qui manu sua admota aratro, respexit ad ea, quæ retro sunt, appositus est ad regnum Dei *Luc. 9. 62.* Cum igitur unumquemque Christianum maxime deceat, in bono perseverare, Christus hunc Ecclesiæ Philadelphiensis Episcopum, omnesque nomine ipsius homines admonet, ne ad quemvis fortunæ flatum rectam viam deserant, sed ut teneant, quod habent, ne jacturam faciant coronæ suæ. Discant hic *Reformati*, nisi jam dudum ad discendum sint deperditi, & in Sole caligare malint, quidnam de renatis credere debeant. Quid enim tam paternis Christi fuisset monitis opus, nisi renati gratia Dei excidere, Spiritus sancti gratiam excutere, & coronam vitæ æternæ amittere possent. Quid opus fuisset, tam sedulo monere, ut tenerent, quod habebant, ne quis acciperet coronam ipsorum? Sanè, qui sibi videtur stare,

stare,

stare, videat, ne cadat *1. Cor. 10. 12.* Discunt etiam ex hoc loco pii, & fideles verbi divini Ministri, quodnam eorum sit præmium, nempe corona vitæ æternæ, quemadmodum Christus affirmat, similitudine ducta à consuetudine veterum temporum, quibus coronæ imponebantur victoribus, prout se strenuos in hoc vel illo certamine gesserant. In hoc mundo pro dolor! accidere solet, ut, quò fidelius quisque Ministrorum suo fungitur officio, eò minorem apud homines hujus seculi inveniat gratiam, & graviores sustineat persecutiones, ita, ut sæpe numero cum Elia suspirare cogantur: Satis est, nunc Jehova accipe animam meam, non enim melior sum parentibus meis *1. Reg. 19. 4.* Licet autem coram mundo sint abjectissimi, & contemptissimi, revera tamen in oculis Domini Jesu magni sunt, & amplissimam in cœlis habent mercedem repositam. Ipsi enim accipient coronam vitæ æternæ immarcescibilem, ipsi fulgebunt in regno Christi sicut sol, & sicut stellæ in perpetuas æternitates, ipsi suavissime requiescent à laboribus suis, ipsisque Christus absterget omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors ultra non erit, nec luctus, nec clamor, nec dolor *Ap. 21. 4.* cum è contrario illi, quorum Deus fuit venter *Phil. 3. 19.* æternis subjicientur cruciatibus. O diem præclaram & pulcram, qua stolis albis amicti, & palmis instructi exultabunt, & sine fine cum Apostolo, omnibusque sanctis cantabunt *ἐπὶ ψάλμιον* illud: Certamen illud præclarum decertavi, cursum peregi, fidem servavi: nunc mihi reposita est corona justitiæ, quam reddidit mihi Dominus, omnibusque, qui expetiverunt illustrem ejus adventum *2. Tim. 4. 8.* O gaudium supra omne

gaudium, extra quod nullum erit gaudium. *Tantum* de aureo hoc dicto pro modulo ingenii nostri dixisse sufficiat. Revera enim est inexhaustus fons, atque aurifodina refertissima, è qua quanto plus eruimus, tanto plus in eo latitare deprehendimus. Quamobrem telam abrumpimus, non dubitantes, ex iis, quæ hæcenus commemoravimus, fatis superque cuivis constare, quam præclara, & præstantissima hujus ecclesiæ fuerit conditio, quanto flore, & quanta Dei gratia exornata!

Sunt, qui referunt, Augustinum inter cætera optasse, videre Romam in flore. Equidem haud iniquum illud votum existimo, si de primis intelligatur temporibus, quibus ecclesia Christi Romæ fundata est. Ita enim Apostolus *Rom. 1. 8.* testatur, fidem Romanæ ecclesiæ per totum terrarum orbem esse divulgatam, & monumenta historiarum comprobant, Paulum ibidem, aliosque pios Christi confessores testimonio sanguinis sui doctrinam confirmasse evangelicam. Ex quo vero synagoga Satanz per avaritiam, impietatem, sacrorum mundinationem, & implacabile veritatis odium, quo Pontifex Romanus non Petrum, sed Judam refert, Roma facta est, quis pius eam optaret videre? Contra vero quis est, qui mecum non flagret summa cupiditate Ecclesiam hanc Philadelphensem in flore, ejusque Episcopum pium, & fidelissimum in ore conspiciendi? Sed quid opus est votis, & desideriiis tam anxiiis, flagrantibus, curisque stimulantibus, cum *imago viva, & vera Episcopi Philadelphensis* se offerat *Lubeca*, nempe *Magnificus, Summeque Reverendus, Amplissimus, atque Excellentissimus, Dominus*
 GEOR.

GEORGIUS HENRICUS GOETZIUS , S. S. Theol.
 Doctor longe Celeberrimus , & Ecclesiarum Lubecen-
 sium Præsul Vigilantissimus , Vir de Ecclesia Christi
 universa, Reg³ literaria publica præclarissime meritis,
 Patronus atqve Fautor meus eternùm colendus , in
 quem omnia Episcopi hujus Philadelphienfis orna-
 menta, & merita apprime conveniunt. Equidem non
 mei est instituti , laudes hujus Viri plenis hîc decantare
 buccis , neqve enim id ipsum ob meritorum copiam
 possum, neqve ille per insignem , qva condecoratus est,
 gravitatem , & modestiam expetit ; illud tamen silen-
 tio minime dissimulandum puto , qvòd omnes ubiqve
 & colunt , & suspiciunt , & admirantur , & norunt ,
 qvi hunc Virum norunt. Qvòd enim Christus de
 Angelo Ecclesiæ Philadelphienfis prædicat , illum
 abundasse bonis operibus , illa laus huic Viro est pro-
 pria , cujus, qvòqvo me verto , luculentissima ubiqve
 perspicio vestigiâ. Non enim tantummodo pro
 viribus suis hæctenus pauperum studiosorum , qvi ipsius
 opem imploravere , sublevavit inopiam , sed etiam,
 sicut agricola , postqvam sevit arborem , gaudet eam
 aspicerè , sæpiusqve irrigare , ut adolescat , & ad debi-
 tam perveniat altitudinem , eorum commodis consule-
 re dignatus est. Qvid seminaria illa partim in Saxo-
 niâ, partim Lubecæ , ad Christianam juventutem bonis
 literis , & moribus imbuendam , ipsius cura instituta
 aliud loqvuntur , qvam hunc Virum incredibili amore
 Dei , & proximi esse inflammatum ? Vos Saxonix
 oppida , Vos collegia ibidem fundata , Vos Lubecæ
 mœnia testes estis hujus mentis , qvæ sane non alio
 unqvam spectavit , qvam ad extollendam magis , ma-
 gisque

gisque divini Numinis Majestatem ! Quanta pariter fide, quanta sedulitate, & quanta sinceritate ad exemplum hujus Episcopi huc usque officio suo functus est, moribunda non solum fideliter stabiliendo *Apoc. 3. 2.* sed etiam amissa, scopula, & facula *Luc. 15. 8.* diligenter quærendo, h. e. securos denunciatione iræ divinæ terrendo, & excitando, pœnitentes vero ad Christum verum de lumine lumen remittendo ? Testari id non sine laude possunt omnes illi, qui conciones ejus dulcissimas, tanquam pluvia stillantes, & sermonem ejus jucundissimum, instar roris fluentem *Deut. 32. 2.* quotidie pronis, apertisque auribus hauriunt, unde plura adducere vereor testimonia, ne soli lumen superaddere videar. Quod *porro* Christus Episcopo Philadelphienſi promiserat, se dedisse ipsi ostium apertum, illud huic quoque Viro evenisse quis ignorat ? Aperuerat ipsi Christus primo ostium in Saxonia, ubi singulari cum fructu animarum, munus sibi commissum administravit, multosque veritatis hostes per Dei gratiam, quæ cooperata est cum ipso, faucibus Stygis eripuit. Aperuit ipsi deinde ostium in inçlyta, & libera S. R. I. civitate, atque Hanseaticarum principe Lubeca, ubi adhuc, faxit quoque Deus, quam diutissime ! fidelitatem suam Christo Archiepiscopo animarum nostrarum felici successu, nec sine laude testatam facit. Et quis dubitet, gratiam Christi imposterum cum ipso cooperaturam ? Quod *tertio* Christus de Episcopo Ecclesiæ Philadelphienſis commemorat, ipsum habere *δύναμιν πνεύματος*, illud quidem laudatissimus hic Vir pro modestia Theologis digna, juxta quam quo sublimiora habent dona, eo humiliores se gerere debent, de

se

se confitetur, nobis autem salva veritate prædicare licet, eam esse quam maximam. Quid enim scripta ipsius doctissima, quid monumenta literarum, quid conciones ipsius eruditissimæ aliud clamitant, quam singularem in ipso Spiritus. S. virtutem? Annon ea sunt exarata eo, quo debebant, instinctu Numinis divini, annon potentiam, adversarios convincendi luculentissime indicant? De *Ambrosio* referunt, ei puero apes mella in os ingessisse, ex quo signo sapientissimæ ejus ætatis judicare, hunc *Ambrosium* aureo eloquentiæ suæ flumine doctissimos sui temporis Viros superaturum. An idem huic Viro evenerit, nescio, illud tamen testimonio ipsius veritatis probare possum, scripta ejus melle *Attico* longe esse dulciora. Licet igitur tanta virtute sit præditus, tamque ampla, & fulminis instar penetrantis, minime tamen frena unquam laxavit superbiæ, aut pro more seculi hujus tumidos cepit spiritus, sed mirum in modum, & humanitati, & humilitati deditus est. Testatur id ipsum, (ut innu-mera alia taceam) non sine laude *Symbolum* ipsius, omnibus libris, & tabulis *Dominorum Studiosorum*, qui ipsum aliquando salutarunt, *Mnemonicis* inscriptum: *Gratiosa Humilitas Gloriam Dat Sem-piternam*, quibus præclaris verbis ipsum non solum animum suum humilitatis amantissimum publice aperire, ex abundantia enim cordis os loquitur, sed etiam eandem virtutem omnibus, qui ipsius familiaritate frui cupiunt, de meliori commendare velle existimo. Atque hoc modo tam ipsum *Christum*, qui fuit $\pi\rho\acute{\alpha}\tau\eta\rho\rho$, καὶ ταπεινὸς τῆ καρδίας *Matth. XI. 29.* imi-
tatur,

tatur, quam *Paulum*, qui nihil suæ sapientiæ, sed omnia gratiæ Christi tribuebat *1. Cor. 15. 10.* ut & *Davidem*, ex animo demisso loquentem in *Psal. CXXXI. 1.* Jehova, non fuit altus animus meus, neque elati oculi mei; ac non aggressus sum res magnas, aut arduas, supra quam conveniat mihi. Quod *amplius* de Episcopo Philadelphienſi prædicatur, illum tempore persecutio- nis servasse sermonem Christi, neve abnegasse nomen ejus, in eo parem cum illo gloriæ, & dignitatis gra- dum consecutus est. Non enim Laudatissimus hic Præsul fuit, flagrante bello *Pietistico*, arundini similis, in utramque partem agitata *Matth. XI. 7.* aut ex eorum numero, qui neque calidi sunt, neque frigidi *Ap. 2. 15.* sed orthodoxam religionem summo fervore, ac con- stantia professus est, non gratia, non odiis hominum, non beneficiis, non spe, nec metu motus, ut extra metas sanæ doctrinæ egrederetur, sed inter prospera, & adversa constans, & immobilis officium suum tum docendo, tum arguendo fecit. Non præbuit aurem discipulis de synagoga Satanæ, *Pietistis*, non eorum consiliis se intricari passus est, non secutus est eos, qui, dum grata mundo & dicunt, & faciunt, magnificum obtinere impietatis suæ præmium, nempe dignitates, opes, & divitias amplissimas. O constantiam hisce temporibus raram, & admirandam! Quod denique Christus Angelo Ecclesiæ Philadelphienſis attribuit testimonium, illum servasse sermonem tolerantiaæ suæ, illud quoque non sine laude huic Viro quadrat. Non enim tantummodo gregem suum verbo divino excita- vit, sed etiam se ipsum imagini Christi conformavit, ita, ut vitæ ejus inculpata doctrinæ sanæ omnibus in partibus

partibus respondeat, & quæ dicit, piis operibus exprimat. O præclaram & similem prorsus hujus Viri imaginem, cum imagine Episcopi Philadelphiensis: O laudem, & gloriam parem, & minime inferiorem! Tene igitur, *Amplissime Domine GOETZI!* cum omnibus piis magnificiam? tene colam, & suspiciam? O me ingratum, & impium, si unquam virtutes tuas prædicare desinam! O fortunatam & vere *Philadelphicam Lubecam*, non eo sensu, quo *Fanatici* quidam nonnullis abhinc annis nugas suas disseminare voluere, sed sensu orthodoxo, quod post tot fidelissimos, & præstantissimos Operarios in ista Domini vinea nunc eximium prorsus, incomparabilem, omnibusque Antecessoribus suis longe præferendum nacta sit Episcopum! Ecce quam jucundi sunt, & decentes super montes tuos pedes evangelizantis, pronunciantis pacem, evangelizantis bonum, pronunciantis salutem, dicentis Sioni: regnat Deus tuus *Jes. 52. 7.* Fruere igitur, *PRÆSUL Amplissime!* his laudum insignibus, tene, quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam, & certo crede, ea, quæ hic proposuimus, lumina, & testimonia tam illustri tuæ constantiæ, pietatis, & fidei immortalia fore, typumque illis præbitura, qui ex animo suo contendunt satisfacere officio. Cumque per Dei gratiam novus iterum toti orbi illuxerit annus, suscipias, quæso, hæc tuorum, qui non desinunt perpetuam tibi à Patre luminum apprecari felicitatem, vota, & suspiria, ut quam diutissime cum aliis piis Theologis columna sis in ædibus Christi, præsentemque non solum, sed etiam quamplurimos annos in omnigena quæ animi, quæ corporis prosperitate tanfigas. *Vale*

in

in Domino nostro Jesu Christo, qui te hoc ultimo senescentis hujus mundi tempore inter motus, & metus communes, & undiqve minantia pericula tueatur, protegat, & conservet, atqve omnia consilia, & actiones tuas ad ecclesiæ totius conservationem Spiritu suo dirigat, deniqve venturi seculi fructum tibi præstet, felicitatem illam æternam, & coelestem, ad quam omnes adspiramus, & tendimus, nempe coronam vitæ æternæ. Scribebam ROSTOCHII,

die 1. Januar. Anno MDCCXV.

Errata.

Pag. 6. lin. 24. pro *intensissimo* leg. *intensissimo*,

pag. 15. lin. 2. pro *Romo*, leg. *homo*,


- - - lin. 17. pro *quo*, leg. *qua*.

pag. 26. lin. 4. pro *puter*, leg. *puto*.



F. Reppien.





the scale towards document

V. 7 - II. 19

pretio summo habent
nominis odium sustinent,
entur, in exilium mit-
dicis mulctantur, sicut
git. Sed audite verbum
is in montanis Schom-
æ confringitis egentes,
ffer, ut bibamus. Jurat
tem suam, quod eccae
et vos aculeis, & poste-
is *Amos. 4. 1. 2.* Quid si
clamantem ex terra de-
: , quidni clementissime
m, precum, & lamen-
vangelii Praecones ob-
re coguntur? Certe tu
; tuorum, annon essent
Non tamen idcirco
deprehendantur, quin
praconium salutis offe-
illos *Luc. 21. 13.* Chri-
i. En summam, atque
m de divina sua natura,
em testimonii auctori-
s, & Verax ille, qui ha-
rit, ut nemo claudat,
novit omnia. Quod
itate caelesti profectum,
niis longe superius, &
ibeamus. Nunc igitur
em, pro facultate, quam
suppedi-